

VI. Consensus parentum non de honestate tantum est contrahendi conjugii, sed de necessitate. Num. XXX. 4 14.

VII. Impotentia ante nuptias contracta solvit matrimonium, quippe quod sub tacitâ aptitudinis conditione, eâque honestâ, fuerat initum.

IIIX. Si tamen à spadone fuerit cum sciente & volente contractum & consummatum, non levia videntur argumenta, quæ tolerandum esse svadent, argumento loci I. Reg. I. 2, 4. Theologi Lipsienses. Gryphiswaldenses, Regiomontani.

IX. Cœlibatus in se non est perfectior conjugio, sed conjugium cœlibatu. Gen. II. 18.

X. Malitiosa desertio quoad vinculum solvit matrimonium, I. Cor. VII. 12, 15. Nec Antonii à Mara rationes contrarium evincunt.

XI. Nec votum impedit matrimonium, si quis se continere neqvit. I. Cor. VII. 9.

XII. Votum tamen continentia, absolutè conceptum, nisi de potentiâ continendi certus sis, impium est.

Disp. XLV.

De

Ecclesiâ.

I.

Vera Ecclesia est, quæ complectitur & docet veritatem, in Scripturâ revelatam. Joh. XVII. 17.

II. Quamquam verò solâ fide membra Ecclesiae formaliter constituamur, tamen *dilectio simul est vinculum & colligatio, quâ colligantur & copulantur plura membra Ecclesiae inter sese, Col. III. 14.* Apologia Augustanæ Confessionis.

III. Non est primus fidei articulus: *credo Ecclesiam;* nec initium informationis ad fidem Christianam ordine vel naturæ vel doctrinæ ab auctoritate Ecclesiae faciendum. Rom. X. 17.

IV. Tota Ecclesia visibilis non est infallibilis.

V. Sola Lutherana Ecclesia, sive fidem spectes, in August.